



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

character, non autem in Minoribus. Sed hoc nihil uerum est, quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinate ad sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur, cuius etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur. Et hac est tertia opinio, quae communior est. Quibus verbis S. Doctor, non solum aperte docet, Minores Ordines imprimere characterem, sed etiam rationem fundamentalem insinuat, quae id potest breviter suaderi. Quod est irreiterabile ex benedictione perfecta & consecratoria, imprimit characterem spiritua-

sum est. Idem D. Hieronymus in argumento super primam Epistolam ad Thessalonicenses, dicit Epistolam illam fuisse missam per Oneum Acolytum, unde praesupponit Ordinem illum fuisse temporibus Apostolorum. Demum Tridentinum sessione 23. cap. 2. ait: Ab ipso Ecclesiae initio horum ordinum nomina, & unusquisque propria ministeria fuisse cognoscuntur: Ergo non illi ab Ecclesia, sed ab ipso Christo immediate instituti sunt.

§ III.

Solvuntur objectiones.

11. Dices cum Vazque, consecrationem Ecclesiae, altaris, & calicis, nec non benedictionem vestium sacramentum esse irreiterabilem, & tamen non imprimere characterem.

Sed contra: Idem consecratio Ecclesiae, & calicis, vestiumque sacramentum benedictio, non imprimat characterem, quia deputatur solum ad usum, non verò ad aliquid reale & intrinsecum recipiendum aut agendum, quod excedat eorum virtutem.

12. Ex his inferes primò, Patrem Martinonum, affirmantem Subdiaconatum esse verum sacramentum, ob auctoritatem Doctorum, praecipue verò D. Thom. & negantem quatuor Minores Ordines veram sacramenti rationem habere, minus cohaerenter loqui & scribere, cum iuxta D. Thomam supra relatum, non minus Ordines Minores, quam Majores, imprimant characterem (qui est proprius sacramentorum effectus) eò quod non minus illi quam isti semel suscepti iterari non possunt, imò omnes Ordines sint unum Ordinis sacramentum, ut idem S. Doctor ait quæst. 57. art. 1. ad 2.

13. Inferes secundò, non minus Ordines Minores, quam Majores, fuisse à Christo immediate institutos; cum solus Christus sit Author omnium Sacramentorum, nec potestatem reliquerit Ecclesiae instituendi sacramenta, ut in Tractatu de Sacramentis in communi ostentum est, & definitur in Tridentino (sess. 7. Canone 1. his verbis: Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.

Addo ex Augustino Epist. 118. Quod fuit in Ecclesia semper observatum, cuius observationis initium ignoratur, censetur originem duxisse ab Apostolis, qui à Christo edocti, illud Ecclesiae servandam tradiderunt: Ad Minorum Ordinum usum, semper fuit ab Ecclesia servatus, à temporibus ipsius Christi; nam de illis fit expressa mentio in canone quarto, quinto, & sexto Apostolorum. D. Etiam Clemens, Discipulus Beati Petri, & S. Ignatius, Discipulus I. Ioannis, de istis ordinibus loquuntur, primus libro 8. constitutionum Apostolicarum, alter verò in Epistola ad Antiochenos, ut in tertia suppositione ostem-

Sam. V.

14. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: S. Anacletus Epist. 3. cap. 2. in fine docet Diaconatum, & reliquos ordines inferiores, non fuisse à Christo institutos, & consequenter non esse sacramenta. Sic enim ait de Episcopatu & Sacerdotio loquens: Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum, nobis nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. Idem asserit Damasceus Epist. 5. his verbis: Non amplius quam duo ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, id est duodecim Apostolorum & septuaginta Discipulorum. Similiter Cyrillus lib. 2. Epist. 9. docet, Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis, institutos esse: Ergo Diaconatus non est sacramentum à Christo institutum.

Confirmatur primò, quia videntur Diaconi ex occasione quadam instituti, nimirum ob murmur Graecorum, & solo ministerio mensarum addicti, ut patet Act. 6.

Confirmatur secundò: Omne sacramentum novae legis constat certà materià & formà à Christo praescriptà: At Diaconatus nullam habet certam materiam vel formam, nunc enim pro materia habet librum Evangeliorum, cum proportionata forma sibi respondentem; tempore verò Apostolorum, pro materia habebat manuum impositionem, pro forma verò verba aliqua deprecatoria, ut constat ex Clemente lib. 8. Constit. cap. 17. 18. & 21. ubi sic dicitur: Ego Philippus constituo ut Diaconum ordines, Episcopo, imponendo ei manus, praesentibus Presbyteris, & Diaconis, & precando ei dicas: Deus omnipotens exaudi orationem nostram, & ostende faciem tuam super nunc servum tuum electum tibi ad ministerium &c. Ergo Diaconatus non est sacramentum novae legis à Christo institutum, sed duntaxat aliquod ministerium, ab Ecclesia praecceptum & ordinatum.

Ad objectionem Respondeo, Anacletum loco citato non loqui de omnibus ordinibus à Christo institutis, sed solum de ordinibus Sacerdotii, ita ut sensus propositionis ejus sit iste. Duo solum ordines Sacerdotii, nempe Presbyteratus & Episcopatus, reliquit nobis Deus, & Apostoli docuerunt; loquitur enim contra illos, qui Primates, seu Patriarchas, in altiori ordine ponebant, quam Episcopos, & ait: Ordo Sacerdotum, frater, bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nulli debet perturbari; idque confirmat ex eo quod Christus solum elegit duodecim Apostolos, quibus Episcopi respondent, sexaginta Discipulos, quibus successerunt Sacerdotes. Deinde concludit: Amplius quam isti ordines Sacerdotum nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. In quo etiam sensu Damasus Epistola citata duos tantum ordines, scilicet Sacerdotum, agnoscit, agens contra Chorepiscopos, qui se

P. III.

me-

medios faciebant inter Episcopos & Presbyteros, subindeque tertium Sacerdotum ordinem in diu fingebant. Unde de illis ait: *Si nec Episcopi sunt, & plusquam Presbyteros esse ambiunt, per quod ostium intrabunt, cum hi tantum duo Ordines (Sacerdotum) in Ecclesia legantur?*

Ad Cyprianum dico, ipsum tantum velle, Christum non ordinasse per seipsum Diaconos, sicut ordinavit Episcopos & Sacerdotes, sed tantum commississe Episcopis, ut Diaconos ordinarent. Ex quo non sequitur, Christum non instituisse hoc sacramentum, nam etiam Christus nullum confirmavit, & tamen Sacramentum Confirmationis instituit.

17. Ad primam confirmationem respondeo, ex occasione quidem ordinatos fuisse primos Diaconos, sed non ex occasione inventum esse ordinem Diaconorum, sed à Christo institutum. Falsum verò est quod subjungitur; nempe Diaconos fuisse ab Apostolis electos, solum ad ministrandum mensis fidelium; constat enim ex Clemente supra citato, ex Anacleto Epist. 1. cap. 2. & ex Iuliano Apologia 2. in fine, atque ex omnibus antiquis Authoribus, Diaconos esse ministros altaris, & Sacerdoti sacrificanti immediate assistere. Unde Dionysius cap. 3. Hierarchia Ecclesiastica post enarratas functiones Minorum Ordinum, subdit: *Qui verò ipsius Ordinis precipui sunt, una cum Sacerdotibus sanctum panem, & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt.* Et Ambrosius 2. Officiorum cap. 41. recit verba S. Laurentii ad Sixtum Papam: *Experire certo utrum idoneum, ministrum elegeris, cui commisisti Domini sanguinis dispensationem.* Legitur etiam Act. 8. quod Philippus unus ex septem primis Diaconis non ministrabat mensis, sed prædicationi & Baptismo operam dabat. Adde cum Bellarmino quod initio nascentis Ecclesie Diaconi non solum constituti erant Hierosolymis, ubi fideles convivebant, ut eis in mensa ministrarent, sed etiam Philippis, Ephesi, & Cæsar, ut patet ex Epistolis Pauli ad Philppenses, ad Timotheum & Titum; & tamen in illis civitatibus Christiani non convivebant, subindeque ibi ministris mensarum opus non erat.

Ad secundam dicendum, Christum determinasse solum quantum ad genus, materiam & formam sacramenti Ordinis, earumque determinationem specificam Ecclesie reliquisse, ut ostendimus articulo sequenti; subindeque initio nascentis Ecclesie, quando liber Evangelicorum nondum scriptus erat, potuisse Apostolos per solam manuum impositionem, & verba deprecatoria à D. Clemente relata, ordinare Diaconos. De quo satis articulo sequenti.

18. Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Subdiaconatus non erat olim ordo sacer, sed postea factus est à Pontificibus, ut ex Canone Nullus in Episcopum dist. 60. probat Innocentius III. c. A multis, de ætate & qualitate ordinandorum. Ergo non est verum Sacramentum à Christo institutum, sed duntaxat à quod officium seu ministerium ab Ecclesia introductum.

19. Confirmatur: Subdiaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ascenderetur. Nam in Concilio Sardicensi, Can. 13. sic habetur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituitur, quam Lectoris, & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit, & ita per singulos gradus, si estimatus fuerit dignus*

ascendat ad culmen Episcopatus. Cujus rei exempla non pauca de SS. Chrysostomo, Eucherio, Ambrosio Constantino, Cæsario Episcopis, Irenæo, & aliis multis sic ordinatis non parvis Subdiaconatu, referunt Petrus Arcadius lib. 1. de Sac. cap. 9. columnâ 10. & Ioannes Morinus Congregationis Oratorii Presbyter, in libro de sacris Ecclesie ordinationibus, parte 3. Exercitatione 11. cap. 2. Atqui si Subdiaconatus fuisset ordo à Christo institutus, non fuisset omisus ab Ecclesia, cum juxta Christi institutionem, per sacramentalia ordines inferiores ascendendum sit quasi per gradus ad superiores. Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum. Hoc argumentum proponit Martinus hic disp. 66. scilicet 2. illudque insolentius relinquit; eoque convictus, probabilem certè eorum sententiam, qui Subdiaconatum non esse Sacramentum asserunt.

Confirmatur amplius: Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, ut patet ex concilio Antiocheno cap. 10. At Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, qui Ordinis Sacramentum conferre non possunt; ut asserit S. Damianus Epist. 7. supra citata. Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum Ordinis.

Ad objectionem respondeo primo, quod antecedente, negando consequentiam, non enim id est ordo sacer & Sacramentum; nam Ordines Minores sunt Sacramenta, ut supra ostensum est, & tamen non vocantur Ordines.

Secundò dico, Majores Ordines duplici titulo vocari sacros; nimirum quia proximitas accedunt ad Eucharistiam, ob quam omnes Ordines instituti sunt; & quia votum solemne castitatis annexum habent. Quamvis ergo Subdiaconatus ab initio non fuerit ordo sacer hoc secundo titulo, quia in primitiva Ecclesia Subdiaconi non tenebantur servare continentiam; semper tamen primo modo seu titulo fuit Ordo sacer, quia semper proximius accessit ad Eucharistiam, quam alii Ordines Minores.

Ad primam confirmationem, in primis dico, argumentum illud nimis probare & ab omnibus Theologis solvendum esse; censent enim omnes Theologi contra Durandum, Diaconatum esse Sacramentum, & oppositam sententiam in errorem & temerariam rejiciunt; & tamen Diaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Sacerdotium & Episcopatum ascenderetur; plura enim ex Antiquorum testimoniis refert Morinus loco citato sanctorum exempla, qui, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum & Episcopatum promoti fuerint in primitiva Ecclesia. Id nominatim esset de sancto Ambrosio, Bituricensi Archiepiscopo, ut in vita natione (inquit) Diaconatus omisus est; premissis enim omnibus Minoribus, si Levitatum accipias, Subdiaconus factus est; deinde missus Diaconatu, Presbyter, ut refert Author antiquus apud Surium 20. Maij, his verbis: *Abbas Augustinus Antiochorum, & à Beato Annario Episcopo, & cæsariæ, Clericus effectus est, & ordinatus Subdiaconus.* Deinde ad memoratum Exherem profectus est, qui iam Lugduni factus Episcopus, cum ingenti gaudio humanissime accepit, Presbyterumque, & Abbatem B. Niceren Episcopi & Constantini ordinavit.

Respondet secundò, si vera sint ea exempla, quæ prædicti Authores referunt, Christum dicens, non fuisse in primitiva Ecclesia, ut non parum inferioribus, & Subdiaconatu, possent fieri

fieri ascensus ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ob varias causas & necessitates tunc occurrentes. Idque necessariò tenetur dicere Adversarij, ut salvent ordinationem B. Austregesii, & aliorum, qui, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum & Episcopatum promoti sunt, fuisse validam & legitimam. Unde mirum est, quod P. Martinonius, qui cum alijs Theologis censet, Diaconatum esse Sacramentum, id negat de Subdiaconatu, vel saltem probabile existimet, ipsum non esse Sacramentum, eo solum ductus fundamento, quòd Subdiaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ascenderetur. Si enim hoc argumentum valet, sequeretur etiam Diaconatum non esse Sacramentum, cum aliqui Sancti, omisso etiam Diaconatu, ad Sacerdotium & Episcopatum promoti fuerint, ut supra citati Authores referunt, & varijs exemplis ostendunt.

24. Tertiò responderi potest, quòd quando in vitis aliquorum Sanctorum legitur, eos, amissis Ordinibus inferioribus, ascendisse ad superiores, hoc nò debet intelligi de omissione Ordinum inferiorum, quantum ad receptionem characteris, sed solum quoad exercitium & ministerium; interdum enim in primitiva Ecclesia aliqui viri sancti, ad Sacerdotium, vel Episcopatum promovebantur, antequam Minorum Ordinum, & Diaconatus ac Subdiaconatus ministeria & officia exercere potuissent, quia tunc aliquam Ecclesiarum necessitas id exigebat. Ex quo faciliè intelliges canonem Concilij Sardicenis supra relatum; in eò enim non permittitur, ut quis fiat Episcopus, antequam Minores Ordines & Subdiaconatum susceperit, sed solum antequam in eorum Ordinum ministerijs sese exercuerit, ut constat ex ipsis verbis canonis, in quo sic dicitur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quam Leitoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, &c.*

25. Ad secundam confirmationem dicendum cum Bellarmino, duo fuisse genera Chorepiscoporum, aliqui enim erant veri Episcopi, & erant quales nunc sunt Suffraganei, qui sunt Episcopi titulares aliarum Ecclesiarum, & de his loquitur Concilium Antiochenum, dum ait, Subdiaconos posse à Chorepiscopis ordinari. Alii vero erant solum Presbyteri, qui tanquam vicarii Episcopi, in oppidis majoribus & muratis morabantur; & ab his negat Damasus Epist. 4. posse ordinari Subdiaconos.

26. Obijcies tertiò: Quando plures actiones ordinantur ad unum aliquem effectum spirituales, illa sola habet rationem veri Sacramenti, quæ talem effectum attingit, ut patet in Baptismo, Exorcismo; & Catechismo; solus enim Baptismus est Sacramentum, quia solus attingit spirituales regenerationem; alia vero actiones, sunt tantum Sacramentalia, sive dispositiones: Sed præter Ordinem Sacerdotalem nullus alius attingit effectum principalem Sacramenti Ordinis, qui est conficere corpus Christi. Ergo nullus alius est Sacramentum Ordinis propriè dictum.

27. Respondeo distinguendo Majorem: Si plures illæ actiones nihil aliud habeant quam disponere, nec specialem ac spirituales effectum, nempe gratiam sanctificantem, in anima producant, ut contingit in Catechismo & Exorcismo, concedo Majorem. Si præter illam dispositionem, specialem ac spirituales effectum, nimirum gratiam in

A anima producant, nego Majorem. Quamvis autem Ordines Sacerdotio inferiores, non attingant productionem Eucharistiae, sed ad illam tantum disponant, causant tamen duplicem effectum specialem ac spirituales in anima, gratiam scilicet & characterem, in genere causæ efficientis instrumentalis, subindeque sunt verè & propriè Sacramenta.

28. Dices, Operationes quas exercent Diaconus & Subdiaconus, vel quatuor Minoribus inirati, sunt mere naturales, ut cantare Epistolam, vel Evangelium, deferre vasa sacra ad altare, portas templi claudere & referre, aquam & vinum porrigere &c. Ergo ad eas exercentes non est opus peculiaris gratia & habilitate, conferendi per Ordines Sacerdotio inferiores.

Respondeo quòd licet actiones illæ materialiter, consideratae, sint merè naturales, ut tamè sunt sacrae ceremoniae, ad solemnioris sacrificij celebrationem ordinatae, sunt quodammodo supernaturales; unde ut ad tam altissimum munus & finem dirigantur, requiritur specialis gratia & character, vel ut ait Florentinum, ut Ordinatus per gratiam susceptam fiat idoneus minister.

29. Obijcies quartò cum Martinono & Vazque: Magna fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum circa Minores Ordines varietas: At nequit in Sacramentis à Christo institutis varietas esse, cum non subjacent Ecclesiae potestati: Ergo Minores Ordines non sunt Sacramenta à Christo instituta. Major probatur, nam tempore Apostolorum, præter quatuor Minores Ordines, erant alii duo, nempe Ordo Cantorum, ut colligitur ex Canone 27. Apostolorum, & Ordo laborantium seu Fossorum, qui ad fidelium corpora humanda destinabantur, ut constat ex Ignatio in Epistola ad Antiochenos, ubi sic ait: *Saluto sanctum Presbyterorum collegium: saluto sacros Diaconos: saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas.* Contra neque Apostoli, neque Patres ipsorum temporibus proximi, ullam Acolytatus mentionem fecerunt, neque à Græcis hic ordo admittitur, ut Arcudius & Morinus supra citati affirmant. Demum Exorcistatus tempore Apostolorum non numerabatur inter Ordines, sed inter gratias gratis datas, ut patet ex Clemente lib. 8. const. cap. 26. ubi hæc scribit: *Exorcista non sit ordinatione: certare enim pro premio Exorcista, libera voluntatis est, ac Dei gratia per Christum, & adventum Spiritus sancti. Siquidem qui gratiam sanitatum accipit, per revelationem declaratur à Deo, cum gratia quæ in eo est, omnibus est manifesta.*

30. Respondeo quòd licet fuerit in Ecclesia à tempore Apostolorum varietas aliqua, accidentalis circa Minores Ordines, nulla tamen fuit circa eos mutatio seu varietas substantialis. Nam ut ait Tridentinum sess. 23. cap. 2. *Ab ipso Ecclesie initio horum Ordinum nomina, & uniuscujusque propria ministeria fuisse cognoscuntur.* Ad primam verò probationem in contrarium, nego officium Cantoris tempore Apostolorum fuisse Ordinem distinctum à illis qui nunc sunt; nam vel fuit idem Ordo cum Lectoratu, ut aliqui existimant, quia nimirum Cantor modulando profert, quæ Lector planè voce pronunciat. Vel ut alij probabilius censent, non erat tunc temporis Ordo, sed solum dispositio ad Ordines, uti nunc est prima tonsura, quæ cum pendeat ex mera institutione Ecclesiae, pro varietate temporum, variam potuit habere ceremoniam. Unde in primitiva Ecclesia, officium

officium Cantoris, non ab Episcopo, sed à sola Presbytero injungebatur, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 10. ubi sic dicitur: *Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola iussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobas.*

Ad secundam, nego à S. Ignatio officium laborantium inter Ordines Ecclesiasticos connumerari: neque enim ex eo quod in sua Epistola illos cum aliis ordinatis recenseret, rectè colligitur, eos pariter clericali Ordine insignitos fuisse, cum eos solum recenseret salutandi gratiā; sicut & Paulus in suis Epistolis, cum Clericis sæpe salutaret alios qui Clerici non erant. Nec Patres de illo officio mentionem faciunt, ut de speciali Ordine Clericali, sed ut de insigni operè misericordiæ, quod fidelium defunctorum corporibus exhibetur. Quod si ab aliquibus Ordo appelletur, large nomen Ordo accipiunt. Quo pacto illud usurpavit Hieronymus, vel Author Epistolæ ad Rusticum Narbonensem: apud Hieronymum tomo 9. dum ait cap. 1. *Primitus igitur in Clericis Fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobie sancti, sepelire mortuos admoventur.*

Ad tertiam, nego Majorem, Cornelius enim Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum supra citata, meminit quadraginta duo Acolytorum, qui suo tempore in Ecclesia Catholica erant. Et Hieronymus in primam Epistolam & Thessalonicenses, dicit Epistolam illam fuisse missam, per unum Acolytum, subindeque supponit Ordinem illum fuisse tempore Apostolorum, ut supra dicebamus. Alii verò Patres rarè illius Ordinis mentionem fecerunt, quia in primitiva Ecclesia, propter personarum paucitatem & penuriam, officium Acolyti à Diaconis vel Subdiaconis, altari ministrantibus, suppleri solebat. Idem dicendum de Ecclesia Græca, ut enim refert Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 9. officium Exorcistæ apud Græcos exercebatur à Sacerdotibus, Acolyti à Subdiacono, vel à Lectore; & Ostiarii, à Subdiacono.

Ad quartam dico, duplex Exorcistarum genus fuisse in primitiva Ecclesia, alii enim fiebant Ordinatione Episcopi, quo pacto S. Martinus à S. Hilario Exorcista constitutus est; & de illis loquitur Cornelius Epistola supra citata ad Fabium Antiochenum, cum ait in Ecclesia Catholica suo tempore fuisse Exorcistas quinquaginta duos. Alii verò Exorcistæ dicebantur, ob gratiam gratis datā, & donum expellendi Dæmones ab energumenis, quod à Deo acceperant, & de istis loquitur Clemens, cum ait lib. 8. *Constitutus Exorcista non fit ordinatione, sed qui gratiam sanitatum accipit, per relationem declaratur à Deo, &c.*

§ IV.

Solvitur alia obiectio.

31. **C**ontra præcedentes conclusiones aliud solet obijci argumentum, quod præstet sic breviter proponi. Si non solum Sacerdotiū, sed etiam Diaconatus, & Subdiaconatus, nec non quatuor Minores Ordines, sint Sacramenta, non erunt tantum septem Sacramenta, sed tredecim: At hoc est contra fidem, & expressam Tridentini definitionem: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Si quilibet Ordo est Sacramentum, Sacra-

mentum Ordinis erit aliqua ratio communis omnibus septem Ordinibus: Sed multiplicata inferiori, debet necessario multiplicari superior. Ergo si quilibet Ordo est Sacramentum, non erunt tantum septem Sacramenta, sed tredecim.

Respondent aliqui, non esse nisi septem Sacramenta, quia Sacramentum Ordinis est unitate genericā, continens sub se septem species.

Sed contra: Licet omnes homines sunt unum genere, non tamen censentur unus homo, aut animal unum. Item licet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, &c. genericè conveniant in ratione Sacramenti, non possunt tamen dici unum Sacramentum: Ergo similiter et eo quod Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor minores, genericè in ratione Sacramenti Ordinis conveniant, non possunt dici unum Sacramentum Ordinis appellari; alioquin ergo unitas Sacramenti Ordinis definit debet.

Unde Respondent alii, quemlibet Ordinem esse Sacramentum incompletum tantum & partiale, subindeque ex omnibus simul sumptis integrari unum completum & perfectum Sacramentum Ordinis; sicut ex duplici specie panis & vini simul sumptis, constituitur unum totale & integrum Sacramentum Eucharistiæ, per modum perfecti convivii, & integræ refectionis spiritualis institutum; quia quilibet species totum est tantum Sacramentum partiale & incompletum.

Sed hæc solutio non placet, Tum quia Thomas hic quæst. 37. art. 1. ad 2. expressè negat Sacramentum Ordinis esse totum integrale, tum etiam, quia Sacerdotium, cum inferiores Ordines eminenter contineat, se solo, & independentè ab aliis Ordinibus, est verum & completum Sacramentum Ordinis: Si autem ex Sacerdotio & aliis ordinibus inferioribus integraretur unum completum & perfectum Sacramentum Ordinis, solum Sacerdotium non posset dici Sacramentum Ordinis completum & perfectum; sicut in Eucharistia solæ species panis non dicuntur Sacramentum completum, quia non sunt signum unius perfectæ & integræ refectionis spiritualis. Ad id quod quilibet Ordo producat distinctā gratiam, & distinctam charactèrem; partes verò integrantes unum aliquod Sacramentum, non habent causare distinctam gratiam, cum unius Sacramenti non sit nisi unus effectus; ut patet in Sacramento Extremæ.UNCTIONIS, in quo, juxta communiorē & probabiliorē sententiam, quilibet unctio & forma partialis, gradum aliquem gratiæ non producit, sed sola ultima unctio causat integrum ejus effectum; quia ante illam, Sacramentum non est completum & perfectum, ut Tractatu præcedenti ostendimus.

E Melius ergo respondetur, quod licet quilibet ex septem Ordinibus sit verum Sacramentum, eo quod quilibet causat gratiam & charactèrem; nihilominus, quia omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendunt ad ipsum, ut ad principale ministerium, & ad ritè & convenienter peragendam corporis Christi consecrationem, ut à eodem ordinantur, ratione unitatis Ordinis quam inter se habent, & finis ad quem tendunt, unum cum Ordini Sacramentum dici possunt. Ex quo intelligitur, Sacramentum Ordinis non esse totum integrale, vel universale, sed potentiale, cujus hæc est natura, quod totum, secundum completum